

garete virginis. Oleum quod de corpore s. Walburgis sudando exivit. Reliquie s. Cecilie virginis. Reliquie s. Drophilde. Reliquie s. Amalberge virginis. Reliquie s. Elyzabeth. Hiis Dominus ad laudem sui nominis adaugeat pluriora. Amen.

In¹⁾ nomine Domini. Andreas abbas de cenobio S. Pancracii Oduino abbati Gandensis cenobii²⁾).

Iste sunt reliquie s. martyris Pancracii quas transmisit Andreas humilis abbas de urbe Roma ad cenobium Gandavi castri, non causa pecunie set pre Dei caritate proximique dilectione, rogante dompna Teta Dei ancilla ex Anglorum genere orta, quatinus memoratas reliquias mitteremus in locum sacrum ubi magnam venerationem et missarum haberent celebrationem. Nunc autem precor vos, domne Oduine, venerabilis abbas, ut pre timore Dei et amore sancti martyris Pancracii accipiatis cum reverencia et debito honore portiones de ejus sacratissimo corpore, id est de ejus dorso et costis et de crure et integrum os de brachio ejus, et recundatis in celebri loco ubi cotidie et sine intermissione sacrificiis et hymnis sicut³⁾ dignum est honoretur, et ut nos invicem fraternitatem habeamus ac memores alterutrum simus sive in orationibus sive in missarum celebrationibus. Valete in Christo.

Preter has reliquias Teta venerabilis femina concessit in⁴⁾ urbe Roma domno Eremboldo postea abbati alias reliquias, id est ascellum s. virginis et martyris Barbare cum aliis reliquiis corporis ipsius. De sepulcro Domini, de vestimentis Domini, de minuciis s. crucis, quam fecit Constantini mater Helena secari serra. Digitale cyrotece s. Marie et de ejus sindone. De mensa s. Petri apostoli ejusque cathedra, de monte Oliveti, ubi Dominus ascendit in celum. De sanguine s. Pauli apostoli et de sanguine s. martyris Crisogoni. De spinea corona Domini. Unum membrum de s. Matheo apostolo, et unum de s. Silvestro. Acta sunt hec anno incarnationis dominice 982⁵⁾, indictione 13, epactis 23, concurrentibus 3, Hugone Francorum rege et Arnulfo Juniore Flandrensi comite, Oduino quoque hujus Gandensis cenobii abbate.

Omnes has reliquias transtulit domnus Wichmannus abbas Gandensis cenobii in istud scrinium de duobus scriniolis primo die calendarum Augusti et suo firmavit sigillo anno incarna-

1) *Sequentia scripsit alia manus, ut videtur.* 2) Diese Sendung berichten die Annales Gandenses zum Jahr 985. 3) seu. 4) conc. d. E. p. abb. in u. R. corr. ut editum. 5) Nicht nur nach den Annales Gandenses, sondern auch nach der Indiction muss 985 richtig sein: dagegen stimmen die Epacten zu 982. Arnulf II. der Jüngere, regierte von 965 bis 989, Hugo aber wurde erst 987 König, und die Daten sind also nicht gleichzeitig, sondern vermuthlich 1080 berechnet.